

h. 8, 9. 4

X 1880776

II k
4446

DISSERTATIO JURIS PUBLICO
DE

REPUBLICA
GERMANICA,

Quam

Supremo rerum domino annuente,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSUL-
TISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

D N.

JOHANNIS JACOBI AVIANI,
IN ALMA SALANA PROFESSO-
RIS PUBLICI CELEBERRIMI,

Doctōris atque Patroni sui etatē devenerandi,

Publicæ disquisitioni subjiciet

add. Novemb.

JOHANNES ERICUS HANNEMAN
GUELPHERBYT. SAXO.

AUTOR.

J E N Æ,

Typis SAMUELIS KREBSI,
ANNO MDCCC LXV.

De Republica Germanica.
Vol. XII. 2d.





DE
REPUBLICA
GERMANICA.

§. I.

Instituti nostri jam est ratio, quantum per ingenii tenuitatem fieri poterit, nonnihil de Republica Germanica differere: id quod ut eò feliciter expediamus, de antiquâ Germania quædam præfari placet. Fuit autem, ut à moribus incolarum nostram telam exordiamur, mater hominum ferocissimorum, quorum ingenium non nisi ad bellum fuit compositum, ita ut vel à teneris, ut Græci dicunt, unguiculis, omnes suos nervos in id intenderint; pueros adhuc infantes, quâ indole essent, in fluvium frigidissimum projectos explorarint; unde Poëta canit:

*Excipit hic natos glacies & matris ab alvo,
Infantum molles artus nix Cimbrica durat.*

II.

Dolendum sanè est nostros majores nullos sibi reperisse tunc temporis scriptores, qui ipsorum res gestas memoriæ literisque prodidissent; hos sibi habuif-

A 2

buis-

buiſſent, certè Romanis haut multùm rebus præclarè
geſtis cederent, accidit idem iis, id quod Venuſina avis
de iis heroibus, qui ante bellum Troianum vixerunt,
Lib. IV. Carm. Od. IX. canit:

*Vixere fortes ante Agamemnona,
Multi, ſed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotiq; longà
Nocte, carent quia vate ſacro.*

III.

Neque enim ipſi optimis artibus operam dede-
runt, ſed eas prorsus ignorarunt, æqui tamen recti-
que ita fuerunt amantes, moribusque talibus instru-
cti, ut Tacitus non dubitet aſſerere, *mores bonos apud
Germanos plus valuiſſe quàm alibi bonas leges*: ſenſit pro-
fecto Cæſar Germanorum virtutem, qui non auſus
fuit eos in ipſorum finibus debellare; teſtis Quinti-
lius Varus, qui cùm primus expeditionem faceret in
Germaniam ſub Auguſto, ab Arminio occidione eſt
occifus; nullus inquit Tacit. *XIII. annal. mortalium ar-
mis aut ſide ante Germanos eſt.*

IV.

Reges habuit pauciſſimos, & quos habuit, illis
non fuit, uti Tacit. inquit: *inſinita poteſtas, ſed potiùs va-
luerunt autoritate ſuadendi, quàm iubendi*: quemadmo-
dum idem Tacitus ait.

V.

Unde hodienum non eſt novum quid, Germa-
niæ regibus poteſtatem eſſe reſtrictam, neque enim
Germania libertatis amantiſſima herile imperium
poterit tolerare, id quod jam tum ſuo tempore Ariſt.
illud

~~illud~~ Philosophorum oraculum prudentissimè ob-
servavit *lib. III. Polit. cap. X. Quia enim magis serviles sunt
gentes natura, barbari quidem Grecis, qui autem Asiam
incolunt, his, qui in Europa, tolerant imperium herile nihil
stomachantes.*

VI.

Quapropter illi gravissimè in principia politica
peccarent, qui addictiori Imperio Germaniam re-
gere allaborarent, cùm non omnis forma in quam-
vis materiam possit introduci, sed illud sedulò expen-
dendum sit quod Arist. dicit *lib. VII. Polit. cap. 11. non
debet experiri omnibus heriliter imperare, sed illis qui sunt
materia hujus dominatus, quemadmodum neque venari
ad vescendum aut immolandum homines, sed quod est captan-
dum ad hoc.*

VII.

Respublica nostrorum majorum fuit bene in-
stituta & prudenter: populus fuit divisus omnis in
duos ordines in Adelingos & Freilingos; ex istis Prin-
cipes sibi elegerunt, quorum magna sane est habita-
ratio, ita ut etiam suam dignitatem suis liberis con-
tulerint, quemadmodum Tacitus inquit: *Insignis no-
bilitas, aut magna patrum merita Principis dignationem
etiam adolescentibus assignant.* Hi principes per pagos
vicosque jus reddiderunt, neutiquam autem ipsis
omne fuit liberum facere, eadem enim civium fuit
natura, & eorum, qui sub regibus, & eorum, qui sine
regibus vixerunt: sic enim Tacitus de principibus
Germanorum: *De minoribus rebus principes consultant,
de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque quorum penes*

plebem est arbitrium apud Principes pertractentur. Hæc Germanorum libertas extincta fermè à Francorum Regibus, cum Clodovæus seculo V. post natum Christum omnem fere Germaniam subjugaret, hic servire sunt coacti, arma ipsis adempta, ne turbas movere, seque in libertatem vindicare possent. Durissimè sanè Franci Germanos habuerunt, exceptis tamen Saxonibus, quos honorificè tractaverunt, & in civitatem assumerunt suam: ceu Poëta canit:

*At verò censum Francorum regibus ullum,
Solvere nec penitus deberent, atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors
Tum sub iudicibus, quos rex imponeret ipsis
Legatisq; suis, permissi legibus uti
Saxones patriis & libertatis honore.
Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis;
Ut gens ac populus fieret concorditer unus,
Ac semper regi parens equaliter uni.*

IIX.

Postquam hoc modo in unum Germania corpus coierat, cum ante ne vicinas quidem ædes tolerare posset, tandem rerum summa delata est ad Carolum Magnum, Pipini regis Francorum filium, heroem fortissimum.

IX.

Cum enim nonnulli Germaniæ populi extra suos fines evagarentur, sibi que alias quærerent terras, imprimis Longobardi, qui Magdeburgensem & Halberstadiensem districtum quondam tenuerunt, ex Africa in Italiam irent, ibique miris modis occidentale Im-

pe-

perium infestarent, Romanique Imperatores Romam jam recessissent, sibi que in Oriente novam quandam Romam constituissent, adeoque minimè pares essent defendendo imperio adversus exterorum insultus; tunc Papa Romanus, cum sibi metueret ab illis, iidemque nondum contenti ulterius etiam Ravennatensem Exarchatum occupaturi progredierentur, Carolum Magnum, rebus feliciter gestis clarum, in auxilium vocavit, qui Papæ precibus motus ingentem in Italiam duxit exercitum, & Longobardos, capto eorum ultimo rege Desiderio, prorsus cæcidit.

X.

Hic igitur Carolus belli jure imperium sibi acquisivit, non autem, quemadmodum nonnulli volunt, à Pontifice ad Carolum Imperium est translatum, qui enim Pontifex, cum plus juris habuerit Carolus Magnus in imperium quam ipse Papa cum fuerit Imperator Papa superior, potuit eum confirmare? Papa enim seipsum submitit Imperatori, ita ut ipsius arbitrio esset Pontificem in posterum eligendi, deponendi; *Imperialis dignitas à solo Deo dependet, neque eget electus, vel hodie Imperator confirmationis Pontificia, ceu vult promulgata Constitutio Ludovici IV. anno 1338.* hic Carolus Rempublicam benè administravit, Academias fundavit, & idunicè curavit, ut optimæ literæ in Germania florent.

XI.

Fuit sanè Imperator prudentissimus, ut facilè omnne id, quod suo nuper stabilito imperio detrimentum afferre posset, pervideret, cumque aliquando

Prin-

Principum potentia nimis cresceret, fregit duos potentissimos ducatus Aquitanicum & Bojoaricum, memor non esse ex usu Reipubl. quenquam fieri magnum, hoc enim omni Reipubl. valdè esse perniciosum experientia felix rerum magistra docet. Observat itidem hoc ipsum Arist. lib. V. Polit. cap. 8. *Maximè est enitendum legibus ita instituire, ut nemo exoriatur multum constans potentia, vel amicorum vel divitiarum.* Sequuntur hoc consilium prudentissimi Veneti, quemadmodum testatur de iis Jovius lib. IV. *Histor. neminem temere ex optimatibus, qui ceteris virtute vel spiritu in rebus gerendis antecelleret, vel collecta gratia apud populum potentem fieri sinunt.*

XII.

Certè si Roma hoc secum recta via reputasset, adhuc fortasse staret, dum enim concedebat, ut Cæsar per decennium in Galliis proconsul esset, fenestras ipsi patefaciebat ad id tentandum, quod animo diu versaverat, idque, quod Arist. lib. V. polit. cap. X. ait, probavit, *que autem volunt cum possunt agunt omnes.*

XIII.

Floruit igitur sub hoc rege Respubl. non sensit Paparum fraudes, neque ullam eorum arrogantiam, quippe cum Paparum in civilibus exigua esset auctoritas, non motus experta civiles, non exterorum impetus, cum Caroli M. virtutem satis perspectam haberent, non Orientales necesse habuit timere Imperatores, cum eorum consensu accedente abundè per legatos ad Carolum M. missos suum animum erga ipsum declaraverint, se Carolum M. fratris loco unicè habi-

habituos, nec non commissuros, ut ille occidentem teneret, sibi Oriente servato.

XIV.

Hoc secundum argumentum & quidem potentissimum esse poterit, cum scilicet postea eorum consensu, in quorum manibus imperium antea fuit, obtinuerit, non esse imperium, à Pontifice ad Carolum M. translatum; quod si Papæ competiisset, jus confirmandi Imperatorem, Carolus M. Imperii splendorem hæreditario jure transferre non potuisset ad filium suum primogenitum, Ludovicum Pium, sed potius consensum Papæ implorare necesse habuisset, Ludovicus Pius ad Lotharium, Lotharius ad Ludovicum II.

XV.

Dicti sunt hi quatuor Imperatores Romani, quamvis eos Pontifex non confirmaverit, usque dum Carolus, Calvus cum Papa, tale iniit pactum, Johanne VIII. scilicet, ut ne quis Imperator diceretur ante ipsius confirmationem, Papæ gratificans & quasi redhostimenti loco tribuens, quod ipsum malis artibus ad Imperii dignitatem evexerat, excluso fratre Germanico.

XVI.

Hoc ipsum à veritate non esse alienum, testatur satis Onuphrius Panvinius, rerum Germanicarum admodum peritus, in aureo suo libello, de comitiis Imperii: *Carolus M. Ludovicum Pium filium, Ludovicus Pius Lotharium, Lotharius Ludovicum II. filios hæredes Imperii reliquerunt: & porro eodem cap. de quatuor illis primis Francorum regibus; sola hæreditate nullo electionis jure sibi invicem successissent, Augusti*

B

gusti

gusti vel Imperatoris nomen non die sua coronationis à Romano Pontifice assumsere, sed eo potissimum die, quo à patre appellabantur Imperatores, à quo etiam die sui imperii annos numerabant, nullà habita Pontificia consecrationis ratione, id autem satis ex eorum privilegiis & diplomatis liquet, in quibus tam ante quàm post coronationem Romani Pontificis seipsos Imperatores Caesares Augustos appellarunt, quod nullus sequentium Imperatorum deinceps fecit.

XVII.

Certè optandum fuisset, ut omnis Caroli M. posteritas ita successisset; ingens hoc ipsum nostræ Reipubl. attulisset emolumentum, & tunc minus patuisset dolis paparum: qui, cum viderent, si scilicet aliquando licentiosa in eligendo Imperatorem Romanum libertas Principum introduceretur, fore, ut multum Reipublicæ splendori detraheretur, allaborarunt publica aliqua sanctione cavere, ne, Imperatore mortuo, filio relicto quamvis dignissimo spes aliqua succedendi resideret, quemadmodum meminit hujus constitutionis autor belli Saxonici, hoc sibi consensu communi probatum, Romani Pontificis autoritate esse corroboratum, ut regia potestas nulli per hereditatem cederet, sed filius regis, etiamsi valde dignus esset, per electionem spontaneam, non per se successoriam lineam perveniret. Si verò non esset dignus regis filius, vel si eum nollet populus, quem regem facere vellet, in potestate haberet populus.

XVIII.

Et verò quamvis Imperii Principes hujus constitutione

tutionis nullam habuerint rationem; dicendum tamen est, licentiosam illam eligendi rationem esse introductam, hæc Pontificum potentiam mirum quantum adauxit eorumq; rebus ingens aliquod dedit incrementum. hæc res fecit, ut principes in diversas sæpe abirent sententias; cumq; ipsi feroci ingenio essent, tumultuati sunt sæpius, Pontificibusq; gratificati, Imperatores interdum nihil tale promeritos omni Imperatoria dignitate exsuerunt.

XIX.

Experta est hinc ergo satis iram divinam; quantum dederit damnum Caroli Crassi depositio vel adhuc conqueritur Germania; quas turbas dederit Henrici IV. optimi Imperatoris, qui laborantes Germaniæ res veteri splendori restituere potuisset, testantur antiqua monumenta.

XX.

Neque enim cum iniquum interdum aliquod committunt Principes, statim iis est abrogandum Imperium, sed est ignoscendum potius iisdem, cum sint homines, adeoq; ab humanis erroribus non alieni.

XXI.

Cœpit proinde jam imperium laborare adhuc sub familia Carolina, sub Arnolpho, bellis civilibus agitata, Gvidone & Berengario imperium affectantibus, sub Ludovico IV. cum Hungari in Germaniam audaci fanè animo irruissent, & Imperatorem Ludovicum adhuc juvenem ad Augustam Vindelicorum cæcidissent. Hi Germaniam ferro & flamma consumserunt, donec eos represit Henricus Auceps, & ad Lycum amnem

B 2

inter-

ad internecionem dedit, Germaniamq; ab ipsorum furore liberavit.

XXII.

Cœperunt, sub hoc Imperatore, Germani mœnibus & urbibus, sibi suisq; rebus consulere & prospicere, ut in iis latitantes aliquantisper hostium impetus sustinere possent, quemadmodum scribit Lehmannus lib. V. Chron. Spirens. cap. 12. *Rex Henricus agrarios milites recensens, ut octo eorum in agris, nonus verò in urbe moraretur, & octo in agris & sibi & nono laborarent, nonus verò in urbe tertiam omnium frugum partem reservaret in adibus à se ad hoc exstructis, ut in bello alicui nihil rerum deesset, urbesq; rebus & viris plena essent.* & porro; Demnach nun der heilsame Friede in Teutschlande wieder gebracht / hat Keyser Heinrich die Städte hin und wieder mit Mauern / Graben und Wällen zu befestigen befohlen / und derselben Auffnehmen und Bedenken zu befördern gesetzt und geordnet / daß keine Wirthschafft / Handel- und Kauffmanschafft auff den Dörffern / sondern allein in den Städten getrieben werden solte.

XXIII.

Respirare igitur cœpit aliquomodo laborans Res publica, & bene se habere lætosq; sibi rerum eventus polliceri, cum hic Imperium quasi suo splendori restitisset, virtute primum bellica, deinde felicissima Germaniæ sobole: sub Ottonibus enim in primis sub Ottone M. Henrici Aucupis filio succedendi beneficio imperium nostrum Papparum fulmina alto quasi supercilio aspernata, nec ullos cum Reipubl. interitu

con-

conjunctos exterorum furōres experta , gloriatur
audax.

XXIV.

Præterea Leo Ottoni M. omnem potestatem concessit in Episcopos, in ipsam sedem Romanam. Otto Magnus Pontifices deposuit, restituit, cum turbas excitassent.

XXV.

Hic dum versamur in Ottonum familia , libet attingere illud assertum, quod fovent nonnulli, scilicet ab Ottone III. & Gregorio V. institutum esse septemviratum, ita ut penes eum sit potestas Imperatorem eligendi: hæc res agitata quondam summo utrinq; ardore inter Gevvoldum & Bernhardum à Malinckrot. quorum ille contendit tanquam pro aris & focis, tunc temporis septemviratum esse institutum, hic negavit evicitq; argumentis evidentissimis.

XXVI.

Usq; adeo vulgaris iste procescit error, ut non dubitaverit Papa Innocentius X. cum octavus Electoratus Osnabrügæ institueretur, id ipsum irritum pronuntiare, propterea quòd ipsius consensus non accessisset: Septemviratum enim, Paparum beneficio, esse institutum, ergo neq; decere, absque illorum consensu, illum augere.

XXVII.

Cæterum risu dignus est Papa; cum possit satis superq; refutari ex illis historicis, de quorum fide dubitare nefas est; Lehmannus lib. V. Chronici Spirens. cap. XVII. latissimè hoc argumentum persequitur,

B 3

& pro-

& probat ex antiquissimis sanè monumentis, usque ad Friderici II. tempora, omnem populum, Imperatorem, sibi elegisse; neutiquam autem ejusmodi Septemviro; Idem agit Onuphrius Panvinius supra laudato de comitiis Imperii libello. Et verò nulla causa potest videri, quare sibi Papa hanc potestatem sumere potuisset, cùm illi nihil juris fuerit in Imperium Germanicum, posito aliquam eum habuisse potestatem in Imperium Romanum. Romanum Imperium enim & Germanicum sunt distinctissima, Romanum Imperium jam erat extinctum; neque hunc errorem errabimus, quasi sit adhuc Romanum imperium, ibiq; sit Roma, ubi sit Imperator.

XXVIII.

Certè ne vocandum quidem est nostrum Imperium Romanum, cùm scilicet hic lateat anguis in herba, & Pontifices hac ratione imperio multùm impo- fuerint, adeoq; errore nominis multum detrimenti attulerint, quemadmodum observat ó πύυ Conringius in suo libro de imperio Romano. cap. XII. *Id silentio praterire non licet, posse|haut sine causâ|cui fortassis videri illam Imperialis nominis assumptionem, ut nulla necessitate exigente fuit instituta, ita Germania non tantum non fuisse utilem, sed etiam detrimentosam: & porro; Ambigua verò illa significatio nominis Romani Imperii non potest non obscurare jura autoritatemq; Germania, prono scilicet errore subdita credi potest illius, cujus est domina. Et verò haut plane tantum una de causa illa gravissimè peccaverunt, quod in Republica momenti profecto est maximi.*

XIX. Sub-

XXIX.

Suboluit hoc ipsum Imperatori prudentissimo, Maximiliano I. qui se primum dixit Germaniæ regem; idq; fortasse autoritate Johannis Tritheimii, qui primus suo ævo sensit, quid discriminis esset inter Imperium Romanum & Germanicum: ceu observat summus Conringius, natus in incrementum rei literariæ & civilis prudentiæ.

XXX.

Post Ottones non multum Paparum fraudes cessaverunt, in primis cum rerum Henricus IV. potiretur; hunc Imperatorem mirum in modum Paparum scelera impetiverunt, incitavitq; Papa in eum Imperii principes, ita ut sæpius de deponendo Imperatore cogitarent, quod postea quoque factum est.

XXXI.

Dictus hic Papa Hildebrandus, postea Gregorius VII. omnis Pontificiæ Monarchiæ autor, hic sibi jus tribuit in ipsum Imperatorem, & id unicè curavit, ut Imperii dignitatem minueret, cum suæ Monarchiæ Imperium Germanicum præcipuè obstare pervideret.

XXXII.

Hic, principibus in suas partes pertractis, elegit Imperatorem Rudolphum Sueviæ ducem, ipsiq; coronam misit cum hac inscriptione;

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpbo.

Ipsius etiam filium in ipsum excitavit, imo in tales angustias redegit optimum Imperatorem, ut quemadmodum historici fide digni referunt, hieme sic satis aspera

aspera media, coegerit Romam proficisci, per vastis-
sima & periculosissima tunc temporis Alpium juga, re-
deundi ergo in gratiam cum Pontifice, perq; tres dies
nullum caput & pedes ante portam in nive stare, ex-
spectaturum iudicium Papæ.

XXXIII.

Egregia fuit Pontifici occasio, id quod voluit &
exoptavit sapius, conficiendi, dum scilicet Imperator
odio Saxonum exponebatur; ille enim cum veteri
splendori imperium restituere vellet adeoq; in obse-
quium Saxones, qui tunc temporis dicto Imperatoris
minus erant audientes, redigere laboraret, in illud
monitum politicum, quod Arist. lib. V. polit. cap.
XI inculcat, peccavit. *Si visum fuerit cuiuspiam po-
testatem dissolvere paulatim hoc facere, & non omnem
simul ei auctoritatem eripere.* Cum enim videret
Saxones opibus & potentia florentes, suo consi-
lio obstare, uno impetu conatus est eos destruere,
adeoq; cum iis bella difficillima & periculosissima
gessit, eventu quamvis minus felici. quæ bella refert
Christoph. Lehman. Chron. Spirens. lib. V. capp.
XXVII. XXIIX. XXIX. XXX.

XXXIV.

Præterea initium fecit ab Episcopis, in suo consi-
lio ad rem conferendo, hac ratione populus non ha-
buit eum numinis & religionis cultorem; quod o-
mnibus principibus suadet Arist. lib. V. polib. cap. XI.
*Atque autem videri semper studium ponentes erga
DEOS eximie minus enim metuunt accipere aliquid
injusti facti ab huiusmodi, si religiosum esse existi-
marint,*

marint principem & curam gerere DEORUM : Et minus ipsi insidiantur, ut socios habenti, quiq; sint auxili-
um laturo DEOS.

XXXV.

Hinc & ex eo tempore magna semper fuit Papa-
rum autoritas , ita ut sibi sumserint potestatem in
omnia: publico enim decreto proscripserunt omnes
Laicas investituras , Imperatoresq; & quosvis, qui non
ipsis erant ad palatum, in publicum bannum declara-
runt; in quo quidem omnibus palmam præripuit di-
ctus Gregorius VII. quemadmodum refert Bertoldus
Constantiensis : *Malum ex communicationis in tantum est
propagatum eo tempore, ut Catholici vix se ab eo contagio pos-
sent illesos custodire, jam ubicunq; cœpit multum tepescere
excommunicationis sententia, ut etiam quidam religiosi inter
excommunicatos promoveri timeant.*

XXXVI.

Existimabant Pontifices, hoc sibi competere,
cùm tamen hoc sit opus summæ potestatis, absque cu-
jus consensu profecto neminem quenquam à con-
sortio Christiano & ecclesiæ commercio excludere
clero permissum est, quandoquidem fieri potest, ut
clerus ad hoc sit nimis pro clivis, adeoq; civilis beati-
tudo quàm facillimo negotio turbetur; summæ au-
tem potestatis est eam custodire, adeoq; ea omnia,
quæ ei detrimentum afferre possunt, sedulo cavere.
poterit de hoc argumento legi summus Conring. in
sua disput. de summa potestate circa sacra.

XXXVII.

Certè mira sunt quæ refert Lehman. de Alexan-
dro

C

dro

dro Papa: qualem se gesserit erga Fridericum I. ita ut
semper quæsiverit occasionem eum omni dignitate
exsuendi, & quacunq; ratione regno depellendi.
Gregorius IX. inimicitias aluit gravissimas cum Fri-
derico optimo Imperatore, de quo illud, quod Home-
rus canit, verè dici & affirmari potest:

*Ἀμφότερον, βασιλῆος τ' ἀγαθός, κρατερὸς
τ' αἰχμητής.*

XXXVIII.

Hoc ipsum liquet ex iis quos sibi scripserunt,
versibus; quos hic apponere non inconueniens esse
duco.

Imperat.

*Roma diu titubans multis erroribus acta
Corruet, & mundi desinet esse caput.*

Papa.

*Niteris in cassum navem submergere Petri,
Fluctuat, ast nunquam desinet esse ratis.*

Imperat.

*Fata volunt, stelleq; docent, aviumq; volatus;
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.*

Papa.

*Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur;
Quod tibi vita brevis, pœna perennis erit.*

XL.

Cæterùm ad tantæ potestatis fastigium Pontifices
pervenisse ipsi principes culpantur, qui non attende-
bant tunc temporis id monitum politicum quod Arist.
subin de inculcat. *In Rebus publicis igitur bene
semper atis quemadmodum aliud quidpiam opus ast
serva-*

*servare, ut nihil contra instituta gerant. & maxime
pessimum cavere.* Fallit enim, quæ furtim irrepit
transgressio, quemadmodum rem familiarem minu-
ti sumtus crebro facti. Parva sæpe scintilla neglecta
magnum incendium excitavit: & ut Cato ait: *non
statim in re minima, ut quidque est neglectum, sed
in integra rerum facie apparet*, decipit enim illud
τὸ μικρὸν hominum animos, qui sibi non persuadent
hic aliquid latitare, postea autem magno cum detri-
mento se non modo deceptos confitentur, sed etiam
conqueruntur. Paucum affine culpæ non conspicitur,
multum autem factum ante oculos magis est,
quemadmodum Aristot. *lib. VI. polit. cap. IV.* ait,

XLII.

Detonuerunt autem Pontificum fulmina tem-
pore Caroli V. Imperatoris, dum felicissimo auspicio
bonæ literæ redierunt, adeoq; in Germaniam transla-
tæ sum, quæ illorum dominatum vehementer con-
cusserunt, quemadmodum omni dominatui sunt im-
pedimento.

XLIII.

Quapropter hodie cum hoc ipsum iis subolue-
rit; non concedunt Laicis sacras literas versare, cum
autem, qui forte emunctioris naris cuique ut Poeta
canit

De meliore luto finxit præcordia Titan.

tamdiu blandis verbis obtundunt, donec sese abdat in
monasterium, egregiè sane utentes isto præcepto
quod Arist. jam tum suo tempore tyrannos obser-
vasse docet *lib. V. polit. cap. XI.* : *Et neque ludos li-*

rarum, neq; alios conventus sinere coli, in quo homines honesto otio perfruuntur.

XLIII.

Hic Carolus V. restitit primùm Papæ, postea etiam Ferdinandus I. acerrimè Imperii dignitatem propugnavit, noluit ille suo capiti imponi regium diadema & Imperii insignia ac fasces à Pontifice accipere.

XLIV.

Præterea factum est ipsorum Pontificum culpa, illi enim nimium suam potentiam augere studebant, arcumq; tamdiu intendebant, donec frangebatur: non attendentes, quod *Arist. V. polit. cap. X.* tradit & *VI. capit;* quæ verba huc apponere libet: *querunt enim, quæ Respublicas constituunt, cuncta quæ sua propriaq; sunt colligere ad propositum opus sibi, peccant autem facientes hoc &c.*

XLV.

Habemus igitur, ut cùm à DEO discesserimus, bonis literis debeamus, tandem Germaniam ab Immani Paparum superbia esse liberatam. Subest hodie Germania suo Imperatori, & optimatibus, qui nec ulla in re Pontificis consensum expectant, in iis etiam, quæ ad ecclesiam spectant, quantum vel promovere vel impedire possunt civilem beatitudinem, ex officio Imperator & proceres decidunt.

XLVI.

Singuli Principes in suis territoriis ea quoque, quæ ad ecclesiam faciunt, administrant, quemadmodum cautum est vi instrumenti Osnabrugg. quâ expressè omnis jurisdictio Papæ est suspensa.

Episco.

XLVII.

Episcopi, etiamsi non sint consecrati à Pontifice, officio suo fungi possunt, quamvis olim si antè consecrationem Papalem se immiscuissent negotio cuidam, omne jus perelectionem acquisitum amiserint, cur enim ille, qui justam possessionem habet, etiam ea, quæ possessione acquisivit, non exerceat? Imperator vi pacis religiosæ, quâ juris dictio papæ sublata est, omnes ArchiEpiscopos, & Episcopos de suis Episcopatibus tanquam imperii feudis investire & iis ea jura, quæ Episcopatum sequuntur, jure dare potest, ut sic in suis diœcesibus plenissimo jure fruantur, *Cr. de const. vel. part. 1.*

XLVIII.

Hinc Imperator, cùm principes in suis territoriis habeant sacrorum potestatem, jus primariarum precum (quod beneficio Papæ scilicet exercet) in inferioris principis Ecclesia non habet, nisi vacanti loco ejusdem religionis socium ornet, quemadmodum habent verba instrumenti Pacis *artic. 5. §. 4. Ubi sacra Cesarea Majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam in posterum, dummodo, decedente Augustana confessionis addito, in ejus religionis Episcopatibus, seu aliis locis immediatis precibus primariis presentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans religionis consors possederit.*

XLIX.

Imperium sibi quoque eligit Imperatorem, quem suis rebus benevelle existimat, neque quidquam Papæ auctoritatem exspectat. Septemviri Francofurti conveniunt, ibiq; juramento præstito eum, quem Rei-

publicæ administrandæ idoneum esse credunt, eligunt, quemadmodum hoc habet A. B. hinc versus isti vulgares:

Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis,

Quilibet imperii sit Cancellarius Archi.

Inde Palatinus dapifer, dux portitor ensis;

Marchio prepositus Camera, pincerna Bobemus:

Hi statuunt dominum cunctis per secula summum.

L.

Non autem Francofurtum Electores præcipuè obstringit, cum scilicet ab ejusmodi lege recedi interdum salus publica, quæ omnium actionum in Republ. norma esse debet, non aliter patiatur, siquidem Ferdinandus III. & Ferdinandus IV. non sunt electi Francofurti; sed alter Augustæ Vindelicorum, alter Ratisbonæ.

LI.

Non autem quemvis eligere necesse est, sed tantum Germanum, idque longâ quasi consuetudine receptum & salutare nostræ Reipubl. An autem aliqua publica lex sit sancita, nonnulli in dubium vocant; affirmat Limnæus ex hoc principio; Cum inter Moguntinum & Coloniensem aliquando de rege eligendo non conveniret, & ille Francum eligeret, hic contradixit asseruitque non esse fas quenquam extraneum eligere: inde vult Limnæus deducere publica lege ita cautum esse; cæterum legem talem nemo quisquam hæcenus vidit.

LII.

Ut autem, quis sit extraneus, constet, dicendum est, eum esse qui nulla bona in imperio habet, non

cum

eum, qui in imperio non natus est, hac ratione enim Carolus V. & Ferdinandus Caroli V. frater ad imperium aspirare non potuissent, neque est quod nos moveat electio Richardi regis Angliæ, itemque Alphonsi Arragoniæ, cum sint principum schismate electi.

LIII.

Coronationem quod attinet, iidem Electores peragunt, quaritur autem quis eorum præcipuè contenderunt inter se quondam Moguntinus & Coloniensis, cum Moguntinus regium diadema Ratisbonæ Ferdinando IV. imponeret, Coloniensis hoc sibi competere beneficio Caroli IV. affirmabat; res tandem est ita decisa, ut si in Moguntina diocesi coronandus esset Imperator, Moguntinus regium diadema ei imponeret; si in Coloniensi Coloniensis; extra verò alternis vicibus hoc ipsum exsequerentur: Que contentio capitulat. Leopoldi *art. 3.* confirmata est. Wir wollen auch; ibi: Was zwischen beiden Churfürsten zu Maynz und Cölln/ wegen der unter ihnen der Krönung halber entstandener Irrung ohnlängst gütlich beygelegt/ und verglichen worden/ hiermit confirmiret und bestätiget haben wollen.

LIV.

Vidimus igitur quænam sit Papæ autoritas hodie in nostro imperio; jam quoque dispiciemus Imperatoris & procerum potestatem, cum de Republica Germanica differere sit institutum, adeoque à nostro scopo non alienum. Hoc ut expediamus, videndum prius erit, quænam Reipubl. forma obtineat in nostro Imperio.

L V. Sta-

L V.

Statuunt nonnulli, inter quos Bartolus familiam ducit, Monarchiam in nostro imperio obtinere, ita ut etiam non dubitet asserere, eum qui Imperatori neget majestatem, crimen læsæ Majestatis admittere, cæterùm hanc sententiam nihil veri habere vel iis, qui nondum ære levantur, subolet.

LVI.

Utuntur autem tali argumento, quod scilicet possit esse quædam Respublica, quæ quidem Aristocraticè gubernaretur, cujus tamen status sit Monarchicus, præsidium sibi quærentes in distinctione, quâ status à modo administrandi secernitur; eam probare volunt ex verbis Arist. quæ habet *lib. IV. polit. cap. V. Opus est autem clàm nobis non esse, multis locis usu venire, ut Respubl. quæ legibus constituta est, non sit popularis, moribus autem & ita institutis populariter administratur*, idem quid dicunt nostræ Reipublicæ accidere, legibus institutam esse nostram Rempublicam Monarchicis, Aristocraticè verò gubernari. Cæterùm illa distinctio nullum habet fundamentum, neque potest ex verbis Arist. evinci. Et verò si status est imperii ordo, fieri non potest, ut status diversus sit actu & re ipsa ab administratione; contradictio enim hic quædam est, si formam administrandi aliam & aliam Reipubl. formam; Reapse sunt hæc idem; constat, interdum esse alium Reipubl. statum, quàm est defacto, actu tamen ipso secundo non est status à forma regiminis diversus.

LVII.

Falluntur idcirco illi, qui existimant, jus publicum

cum

cum alicujus imperii nosse, idem esse, cum eorum no-
titia, quæ ad civitatem faciunt, quando quidem multa
possunt fieri in Republ. quæ sunt magni momenti, quæ
sanè ex jure publico nequeunt accipi: præterea qui-
dem ex legibus discere possumus, quemadmodum
in multis sese habere debeat, non autem quomodo se
habeat: neque enim sic argumentari poteris, hic sunt
leges Oligarchicæ, E. hic est Oligarchia, leges scilicet
adhuc sunt, verùm sine ulla, in qua quidem legis ma-
jestas consistit, reverentia, observante Arist. *lib. V. polit.*
cap. IX. Potest hoc inde constare, si quando status Oli-
garchicus mutetur in Democraticum, aut Democra-
ticus in Oligarchicum, hic si mutantes dolo utantur,
manent eadem leges, neutiquam autem eadem for-
ma: hoc enim optimè norunt politici, non esse eie, in
omnibus uno quasi impetu simul apparere, qualis Res-
publica subsequatur. Noverunt hanc artem Romani
Imperatores, qui cum nolent suas fraudes divulgari,
omnia prisca relinquebant, ne Rempublicam muta-
tam esse constaret, ipsi interim, uti Tacit. inquit, arca-
ni, urgebant paulatim, munia Senatus, Magistratum,
legum in se tenebant, nullo adversante, invalido le-
gum auxilio. vid. Conring. *in tractatu suo de civil. pru-*
dent. cap. 12. pag 24. ita differentem: *Turbant scilicet non-*
nulli hoc ævo ita differentes, quasi jus publicum, aut, ut alii, &
privatum alicujus civitatis novisse sit tantumdem, atque no-
visse ea, quæ ad civitatem illam attinent, quasi hoc unum sit
satis ad singularis Reipubl. administrationem. Etenim
cognitio plena singularis Reipublicæ excludit utique ignoran-
tiam omnium, quorum in Republica usus est illa. At verò

D

juris



juris publici vel etiam privati notitia quamvis accurata cum plurimorum ignorantia conjungi potest, cum saepe numero leges minime observentur, & ipsamet secundum leges regiminis forma longè aliena sit ab ea, qua reapse obtinet, ceu cum primis observare est circa tempora magnarum in Republica mutationum dolo mutantium, manentibus quidem in speciem legibus & vocabulis priscis, re tamen ipsa prorsus diversa.

LVIII.

Nonnulli contendunt Aristocraticum esse statum, adeoque hujus rei probandæ causâ allegant testimonia duorum Electorum Moguntini nempe, & Mauritii Saxonis, quorum ille in electione Caroli IV. contra Franciscum Galliae regem ita ait: *Animi magnitudinem illi tribuunt, sed ad Monarchiam illa spectat, nobis autem imprimis Aristocratia est retinenda.* Alter Carolum V. accusat, quod ipse unicè operam dederit, ut sibi Monarchiam strueret? oppressis imperii principibus. *Daß er damit umbgienge / wie er seine so lange gerne gepractizierte Monarchei einmal zu begehrtten Ende führen möchte.* Cæterum hæc verba in medium adducta nondum Aristocratiam evincunt, sed potius id volunt, operam dandam esse statibus, ut mixta Respubl. conservetur, neque pura Monarchia introducatur.

LIX.

Denique nonnulli sunt, qui affirmant mixtam Rempublicam esse, Monarchicam forma Aristocratica temperatam, idque verum esse, tali nos confirmamus argumento: Ubicunque Majestatis particulae penes unum & optimates commune bonum quærentes resident, ibi est Respublica mixta ex Monarchia & Aristocratia, Atqui &c. Ergo: LX. His

His ita discussis, poterimus in accuratiorem nostræ Reipublicæ notitiam pervenire, pro qua primum tamen faciet, ut prius nostræ Reipublicæ finem explicemus, quem sibi habet propositum, ei enim qui Reipublicæ alicujus notitiam desiderat, ante omnia finis erit agnoscendus illius Reipublicæ: absque hoc minus feliciter in eadem poterit versari: præterea si quando deliberabit, quid Reipublicæ conducat, ineptus erit consiliarius: posito enim tali fine, ponuntur talia media, neque enim quævis media ad finem quem spectas te perducent. Cic. illa Latina Cypris & Romanæ eloquentiæ flos III. de legib. ait: *Est Senatori nosse necessarium Rempublicam, idq; latè patet, quid habeat militum, quid valeat atario, quos socios habeat Respubl, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque conditione sit lege ac fœdere: hæc utique modo nullo poterit applicare, sed potius se turpiter dabit, nisi perspectum habeat finem Reipubl.*

LXI.

Variant autem Rerumpublicarum fines, aliæ spectant divitias;

— — — *Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaq; pulcris
Divitiis parent, quas qui congesserit, ille
Fortis erit sapiens pulcher.*

Multæ fuerunt, quæ sibi hunc scopum constituerunt, & adhuc sunt, qualis ex iis Respublica Batavica, de qua illud dici potest.

— — — *trux ventilet ignes
Tisiphone, quatiatq; suos irata colubros,*

Provehimur quo lucra vebunt.

Aliæ voluptatem, qualis Respubl. Persica, aliæ vires & potentiam bellicam, qualis quondam Romana, de quâ Petronius ita canit:

*Orbem jam victor populus Romanus habebat,
Nec satiatus erat, si quis sinus abditus ultra,
Si qua foret tellus, qua fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisq; in tristia bella repulsis.
Quærebantur opes.*

LXII.

Aliæ denique virtutem, quales pauca admodum fuerunt, & hodie sunt, dicendum tamen est nostram Rempublicam virtutem, quam humana conditio admittit, spectare cum rerum sufficientia. Id quod satis ex ipsius actionibus apparet, unde quivis finis æstimandus. Manet proinde verum jure merito nomen Augusti tueri hodiernos Imperatores, licet non studeant imperii terminos dilatare, *augent sane Rempublicam, qui in justitia & equitate summis pariter ac infimis suum tribui faciunt. Et hercle longè felicius geritur Respubl. suumq; assequitur finem, si Magistratibus sua constet autoritas, ac subditi in suo quisque ordine ac gradu ab injuriâ unde quaque præstentur tuti, quàm si longè latèq; propagentur imperii fines, non enim quàm maximè dilatatos efficere imperii terminos rei-publ. felicitas est, sed maximos minimos suo quosque loco tueri. Cadit igitur eorum calumnia, qui ex eo irrisui habent hunc titulum, quòd multis abhinc annis Casares ne quicquam Imperium adauxerint.*

LXIII.

Et verò vulgus ita tantum interpretatur, **Meh-**
rer

rer des Reichs/constat enim ex optimis autoribus, qui
florentis Latinæ linguæ seculo vixerunt, Augustum si-
gnificare venerandum, sacrosanctum. unde Ennius ita
canit: *Augusto Augurio quoniam inclyta condita Roma est.*

LXIV.

Patet etiam ex antedictis, ut hoc obiter adjicia-
mus, eos errare, qui politicæ negant demonstrationes,
hoc nixi argumento, quod res civiles sint fluxæ & mu-
tabiles, quod si enim ex ea ratione non esset in iis vis
apodictica, sequeretur omnino, nec in naturali Philo-
sophia dari demonstrationes, utpote cum & res natu-
rales à materia omni sint abstractæ, quæ omnis muta-
tionis est fundamentum, quamvis autem verum sit non
dari demonstrationes à priori, sat tamen est, dari à po-
steriori, neque tantum ea scientia est, quæ admittit de-
monstrationes *ἔκ τῶν ἀποδείξεων*, sed etiam quæ *ἔκ τῶν ἀποδείξεων*, *omnis scientia*
ejus est quod est aut semper aut plurimum, dicit Arist. Po-
sito enim tali fine talia ponuntur media, quæ tunc o-
mnino possunt egregiè demonstrari de fine, quatenus
faciant ad obtinendum finem, quatenus non; sic posita
principum discordia non potest non oriri seditio, ut
adeo constet, non omnem necessitatem in politicis
exulare, vid. Coring. *in suis propolit.*

LXV.

Cæterum ne longius evagemur, sed ad institutum
revertamur, ponimus secundo loco hoc *ἀξιωμα*, princi-
pibus omne id relictum esse, ubicunque finem istum
nequit imperium assequi, adeoque suo fungi officio
impeditur; habent hinc jus vitæ & necis in suis territo-
riis, jus foederum pangendorum, idque ex natura Rei-

D 3.

publ.



publ. cum enim hic non possit satis suum officium facere imperium, id relinquendum est principibus, ut mutua foedera ineant, seque arment contra hostiles furores: luculentum hujus rei exemplum esse poterit dux Lotharingiae, qui cum bello peteretur à Gallo, imperium ipsi non potuit succurrere. Habent eadem ex ratione praeterea jus belli; dubitant nonnulli hic, an etiam principibus competat jus legationis, verum aliter esse non potest; cui enim licet plus, illi etiam id quod minus est, debet licere. Atqui principibus bellum gerere licet quod plus est. Ergo.

LXVI.

Tertium est, ut communis Respublica distingua- tur à privatis principum territoriis; quantum enim sit discriminis, vel inde constat, quod principes in suis territoriis sint *αυτοκράτορες*, & majestate gaudeant; in imperio autem non singuli habeant majestatem, sed omnes simul summam potestatem cum Imperatore divisam.

LXVII.

Errant hinc igitur illi, qui principum majestatem in hoc consistere dicunt, ut ad comitia vocentur, ibique ferant suffragia, Quod si enim alter in negotio quodam quod deliberandum proponitur, suum det votum; poterit hoc ab altero aliquo annullari, eique contradici: quanam igitur haec erit majestas? quod argumentum ita strinxit Lampadium, ut inde se satis explicare non potuerit, quemadmodum videre est apud eundem in suo jure publico.

LXVIII.

Sunt

Sunt autem status imperii in triplici differentia,
Electores, Principes, Civitates.

LXIX.

Electores reliquis antecellunt dignitate & præeminentia; possunt ad suam dignitatem pervenire cum annum 18. attigerint; datur ipsis tutor, si ante hoc tempus præfixum eorum parens decedat, proximus agnatus, quem modum constat ex A. B. Gravis quondam quæstio agitata hoc seculo, cum Fridericus Palatinus diem suum obiret, & impuberes filios relinqueret, illisque testamento tutorem constitueret Johannem Bipontinum, præterito Neoburgico proximo agnato, an posset hoc ultimæ voluntati dari? Neoburgici enim partibus favebat lex imperii, ad quam idem quoque Neoburgicus provocabat: quodcumque enim fit contra leges idipso jure nullum est, & quod ab initio vitiosum est, illud deinde convalescere non valet. Contra Bipontini partes sunt secuti viri prudentissimi, Dionysius Godofredus, Marquardus Freherus asserentes, A. B. eum tutorem elegisse, qui impuberibus maximè faveret; adeoque proximum agnatum, qui bene velle iisdem sperabatur; reliquis necessitudine conjunctis prætulisse; jam verò certo constare, Neoburgicum impuberem rebus non optimè prospecturum esse, adeoque cum hic ratio cesset, cessare etiam ipsum effectum; res tandem est ad Imperatorem Rudolphum secundum delata, qui sententiam dixit pro Bipontino.

LXX.

Principes cum multis modis varient, hic prolixum.

xum esse dissvadet instituti ratio. Propterea hæc possunt videri apud juris publ. Doct.

LXXI.

Civitates sunt in duplici differentia **Käyserliche Reichsstädte** / quæ ab imperatoribus sunt exstructæ, **freye Reichsstädte** / quæ parent etiam imperio immediate, non autem ab origine liberæ fuerunt. Civitates hæc cœperunt in imperio. dicente Lehman Chron. Spirens. lib. 4. cap. 3. **Solche Befreyung der Städte von den weltlichen Officinen hat ihren Ursprung unter Käyser Otten den Ersten und seinen Nachkommen.**

LXXII.

Quæritur hic, an hæc societates habeant in comitiis votum decisivum, an verò consultativum votum. R. decisivum: idque instrumento Pacis Osnabrugæ edito; cujus verba ita sonant: *Tàm in universalibus quàm particularibus dietis liberis imperii civitatibus non minùs quàm cæteris imperii statibus competat votum decisivum.*

LXXIII.

Vocantur hi status ad comitia, & in commune deliberant cum Imperatore, ne utiquam autem inter eos si quando minime conveniat, imperator decidere potest; Hac enim ratione tantùm pro formâ & in speciem ad comitia vocarentur, neque vera mixta Respublica esset.

LXXIV.

Principes ferunt suffragia pro numero ditionum, quemmadmodum in Oligarchico statu disciplina est, ubi omnia censu valent. Quanto enim plus quis confert

fert

fert in bonum publicum, tantò plura vota habet: unde Arist. lib. III. polit. cap. VI. Si namque, rei familiaris gratia, communicarunt, primumq; se in eandem sedem contulerunt, tantum participant de civitate, quantum de re familiari. Hoc ita obtinet in statu Oligarchico, num nostra Respublica de Oligarchia quid participat? dicere hic non nihil periculosum esse censeo. Hoc tantum dico, illud consilium, quod Arist. lib. VI. polit. cap. IX. suggerit. Et hereditates non largitionibus sed cognatione venire, neque plurium quàm unius quempiam esse compotem, ita enim erunt equabiliores fortuna, & plures egentium ad copiam bonorum pervenient. nostræ patriæ admodum salutare esse.

LXXV.

Obtinet in 7. provinciis fœderatis idem cùm omnis non æquè in commune fœdus, quo unitæ sunt, conferat; hinc in Senatu fœderis Hollandiæ 3., Geldriæ Frisiæ, Seelandiæ, duorum, Trajectinæ, Transisalanæ Groningæ, singulis unius suffragii in sententiis ferendis jus est.

LXXVI.

Animadvertit hoc ipsum Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. V. fieri ita in societatibus, quamvis non sint Oligarchicæ, Arist. tamen sententiam probat, dicentis hoc in Oligarchiis fieri conveniens esse.

LXXVII.

Facit autem statum Imperii jus suffragii, non verò, uti quidam volunt, matricula: exinde enim sequeretur, nullos fuisse nostræ Reipublicæ cives, ante conditam matriculam, quam primam conficiendam curavit Sigismundus Imperator anno æræ Christianæ 1431. po-

E

terit

terit hac de re videri summus Conringius in elegantiss. disput. de civibus imperii Germanici.

LXXVIII.

Hi quoque status illustres scilicet possunt adspirare ad Imperatoriam Majestatem: testantur enim antiqua monumenta quatuor Comites Rempublicam administrasse, successivè scilicet, quemadmodum constat de Adolpho Nassovio, Wilhelmo Hollando, Rudolpho Habsburgico, Günthero Schvartzenburgensi.

LXXIX.

Definit verò Imperatoria dignitas morte, depositione, resignatione: mortem quod attinet, si dicerem, nihil dicerem: resignationem: fortasse hujus non multa habebimus exempla. Carolum V. hoc fecisse constat, idemque hoc ipsum tentasse Henricum II, qui tamen postea suam sententiam mutavit, dum proceres imperii hoc consilium ipsi disvasere. Requiritur autem ad eam libera Cæsaris voluntas, aliàs non solverentur obedientia status, qua sunt obstricti Imperatori, eique invito legitimæ potestatis jugum excuterent, vid. Lampad. in suo jure publ. pag. 74.

LXXX.

Quæritur autem hic: an resignatio solis Electoribus, an verò omnibus statibus sit facienda? Statuit Lampad. solis Electoribus: vide sis eum ita differentem in suo jure publico: *Quoniam verò resignatio nihil est aliud quàm debita obedientia & subjectionis remissio, intelligitur iis faciendam esse, qui obedientiam debuerunt, ii verò procul dubio immediatè sunt imperii status, quorum partes in Cæsaribus eligendis perpetuo sustinent privilegio Electores, coram his igitur Imperatoriam dignitatem ejurandam esse evincitur.*

LXXXI.

LXXXI.

Verum ex ipsius definitione, quam ille tradit, resignationem esse debitæ obedientiæ & subjectionis remissionem, satis luculenter apparet, non solis Electoribus faciendam, quia etiam reliqui status obedientiam Imperatori præstant.

LXXXII.

Neque est, quod objiciat nobis, nomine principum & reliquorum statuum (uti ex ipsius discursu apparet) Electoribus fieri resignationem ab Imperatore, quemadmodum in electione, ubi Electores Imperatorem, nomine reliquorum statuum, eligunt, ut ita hic illud obtineat: quod quisque per alium facit, id ipse fecisse dicendus est; nam verum id quidem est suo modo dictum, ubi alter agere non impeditur, at verò reliqui status omnino electioni interesse vetantur, ut adeò non satis possit stare, quod asserit autor, si accuratè rem perpendamus, & in ejus definitionem inquiramus. Absit ut negem, esse solis Electoribus resignationem faciendam, hoc tantùm dico, autoris definitionem non hoc evincere. Hic etiam facillimo negotio poterit quis judicare de istâ quæstione, quam hic tractare solent jur. publ. Dd. an debeat fieri resignatio coram Papâ? ex superioribus, quæ disserui. vid. Lampad. pag. m. 79. eruditè hac de re differentem.

LXXXIII.

Depositionem: status Imperatorem deponunt, si scilicet leges fundamentales non servet, quod si enim certis conditionibus imperii fasces dederunt, liberè possunt eosdem revocare, conditionibus non impletis. Habemus exempla in Henrico IV, Wenceslao,

Carolo Crasso; licet hoc exemplum non æquè probet, Imperatorem depositum ob conditiones non impletas, probat tamen, Imperatorem deponi posse: fuit igitur alia quædam causa, quare status eum imperatoria dignitate exuerint. Sunt autem istæ conditiones, Pax religiosa, Aurea B. Capitulationes &c. quas Imperator omnino servare tenetur, nisi velit nostram Rempubli- cam perditam. Pax enim Religiosa & A. B. sunt basis imperii, & illa quidem ita sunt obligati status inter se quoque; eamque tam sanctè tuentur, ut nemini inde in suis territoriis, in quibus tamen sunt *παμβασιλῆες*, recedere sit integrum; adeo, ut liberrimum religionis exercitium suis subditis relinquere debeant, prout habent hac de re verba Instrumenti Svecici ita: **Es ist beliebt auch worden/ daß diejenige der Catholischen Unterthanen/ so der Augspurgischen Confession zugethan/ wie auch die Catholische der Augspurgischen Confession verwandte Unterthanen / so Anno 1624. das öffentliche privatexercitium religionis zu keiner Zeit des Jahrs gehabt / in gleichen auch welche nach publication des Friedens fürderst fünfftige Zeit ein andere religion als die Landes Herren führen und üben werden/ sollen gedultet seyn und mit freyen Gewissen in ihren Häusern auffer inquisition oder turbierung ihrer privatdevotion abwarten.** Quodcunque enim omnium ordinum consensu est approbatum, id solus Imperator tollere non potest, *Nibil tam naturale est, quam dissolvi eò genere, quo colligatum est.* Hujus constitutionis utilitas Papæ suboluit, quapropter, licet frustraneo eventu, irritam eam pronuntiare conatus est.

LXXXIV.

Et verò

Et verò saluberrimum est consilium Principibus,
non in omnibus sibi absolutam tribuere potestatem,
& legibus inniti fundamentalibus; sequuntur hoc et-
iam omnia regna successiva in Europa. vid. Spreng. in
sua status rat. XV. de popul. consens. circa res regn. ele-
ganter differentem, quem jam exscribere supersedeo.

LXXXV.

Hæ autem conditiones Imperatoris potestati
nihil derogant, sed potius ei dant potestatem in nostro
imperio. vid. Lamp. more suo eruditè differentem pag.
m. 80. *Capitulatio verò de datâ potestate nihil imminuit, sed
quas majestatis partes non impertiat, Electores declarant &c.*

LXXXVI.

Consideravimus igitur Rempublicam nostram
secundum Senatum, Magistratum, restat ut de judi-
ciis simus solliciti; secundum hæc tria enim omnis Res-
publica debet examinari, iisque bene se habenti-
bus, ipsa Respublica benè se habet; vid. Arist. lib. IV. polit.
cap. XIV. pag. m. 273. Cæterum cum hic quidquam dicere,
quod ad scopum attinet, sit periculosum, filum cœptum,
hic merito abrumpo, etiam atque etiam confidens,
hujus nomine à quolibet me veniam impetraturum.

COROLLARIA.

1.

Jus quæsitum princeps subditis suis jure do-
minii auferre non potest.

2.

Usucapio est juris naturæ.

3.

Malè dicit Ferdinandus Vasquius: populum

E 3

justo

justo bello subactum, datâ occasione, se in libertatem vindicare posse.

4.

Respublicæ heriles, quamvis civilis societatis naturam exuant, unde Arist. *παρεκβάσεις* dicuntur, non sunt contra jus naturæ.

5.

Nimium blandiuntur Romanæ historiæ scriptores suæ patriæ, dum eam ita ob justitiam armorum commendant: Romana Respublica semper utilitatem justitiæ anteposuit.

Ad Dn. Hannemannum, ex asse doctum, omnigenæ eruditionis cultorem, amicum meum charissimum, & auditorem indefessum.

Non fugit Te, Doctissime Hannemanne, quantum cum juris publici notitia, legum nostrarum cognitio affinitatis habeat, idq; a deo, ut in illa sine hac nihil solidi intelligi, nedum in publicis causis geri quidquam possit. Quod qui non credit, vel unica Instrumenti pacis, terminorum & principiorum ex jure privato depromptorum pleni, per lectione plus satis edocebitur. Ut ne dicam Publicistarum, quos appellant, hodiernorum primores, & juris nostri privati cognitione instructos, imò instructissimos esse solere. Itaque accuratiorum quorumvis modo geris Te, amicissime Hannemanne, quod quæ, de conjungenda privati cum publici juris seu scientia, seu prudentia, surdis aliorum auribus nonnunquam canuntur, Tu felicissimè arripas, amboque juva, ex amissimè addiscenda Tibi proponas. Eoq; hoc magis inclinas, cum, ab ineunte adolescentia, perpetuis cogitationibus de adipiscenda solida eruditione animum

sum

tuum agitaveris, & prætereà à celebratissimo ætatis nostræ Po-
litico Conringio, non minùs politices quam juris publici Ger-
manici fundamenta avidus acceperis, & postremò apud nos
sedulam operam legum studio dederis. Quibus omnibus obti-
nuisti, ut, quam nunc in publico conspectu ponis, omni laude
digna Dissertatio, quamque à dissidentium telis tutabere, à te
longè dexterrimè elaborata sit. Et sanè, præter singularem in-
genii tui indolem, non vulgarem rerum Germanicarum noti-
tiam abundè prodis, tuique specimen ita edis, ut nihil in ea, sine
consilio, sine ve iudicio agas, tuoq; laudabili exemplo & alios ad
jus publicum hic excolendum facilimè excites. Qua re quan-
tum ego delecter, cogitatu quàm dictu facilius. Ac proinde hoc
opus Tibi ex animo tum gratulor, tum Deum rogo, ut in cœpto
hoc Te diu perseverare sinat. Hac enim ratione, qui studiis
apud nos inclytus es, idem patriæ maxima emolumenta affe-
res. De cætero ad optima queque in juris studio suscipienda
si non ductorem, certè fidissimum constantissimumq; comi-
tem me semper habebis. Vale! Dab. rapt.

Jenæ 27. Octobr. Ann. 1665.

Joh. Jacob. Avianus, D. & P. P.

Quò melior genius, quò Tè pia vota Parentis
Currentem rapiunt, huc Tè, per dulcis Amice,
Infer, & in Cathedrâ Tè siste, objecta resolve,
Et Patriæ Cara Civem Tè redde politum!

Ita

CL. Dni. Hannemann.

Disputationis de Republ. German. Autori soler-
tissimo, Amico, & Consalino suo pl. dilecto
adclamare voluit

TOBIAS Bormann / J. U. Doctorandus.

Celare

94
TH
4446
C Elare nescit masculus indolis
Vim, fervor, altam: promovet infitas
Laudes penatum; Gente dignos
Parturit hos patriâ labores.

Hinc neçtet & R E S P U B L I C A splendidam
Civi coronam. Sic beat arduos
Ausûs Apollo. Sic virescit
Gloria, quæ studio paratur!

Ita,

Nobili & Erudito

Dn. Autori, Fautori, & Commensali
suo colendo calamo properan-
tiori gratul.

Sigismundus Maximilianus Raid. V. R.

Was uns bey Leuten macht beliebt / ist Dir be-
fand /

Mein Freund. Wie man sich soll mit Wis-
senschafften schmücken /

Was Dir vorlängst bewust. Ein Beyspiel ist zur
Hand.

Den lob ich / der so weiß in alles sich zu schicken!

Dieses setze dem Herrn Antwortenden als seinem vornehmen
Freunde und Tischbursen zu schuldigsten
Ehren hinzu

Adam von Gernar: Eques
Thuringus.

E N D E.

WMA
mit

Pri
ter
mo
gn
exp
de
du
pot
cor
sta
ma
rece
finu

adh
per
pat
ver
que

Pap
qui
tas
tus
ren
tor
lega
ipfu

fregit duos po-
sojoaricum, me-
quam fieri ma-
esse perniciosum
et. Observat iti-
Maximè est eniten-
r multum constans
Sequuntur hoc
madmodum te-
em temere ex opti-
rebus gerendis an-
um potentem fieri

a via reputasset,
debat, ut Cæsar
set, fenestras ipsi
animo diu versa-
X. ait, probavit,
s.

publ. non sensit
n arrogantiam,
ua esset autori-
terorum impe-
spectam habe-
timere Impera-
te abundè per
animum erga
atris loco unicè
habi-

